



Vos oro hos latos ne aversetis honores.  
Prodiit è vestro, nam liber hicce penu.  
Illud si vultu modo complectere benigno  
Non minimi nobis muneris instar erit.

## A L L E C T A T I O.

**E**Xternos gratum est procul hinc penetrare per agros  
Atq; peregrinis multa videre locis.  
Ruris opes, magnas pecudes, currentia plaustra  
Et quas divitias incola ditis habet.  
Dulces Ausoniae reliquas & visere & Urbes  
Et mores hominum, flumina, templa, vias.  
Et coecos nemorum saltus & lustra ferarum  
Et loca mortali vix adeunda pede.  
At Decus & Patriæ, tibi gentis nomen avitum  
Perspexisse domi gloria major erit.  
Hic! Hic! Splendor inest Patriæ virtutis, at illic  
Exemplum fatis est, moribus esse probum.  
Sic igitur discas peregrinos noscere mores.  
Ne fias Patriæ nescius ipse tuæ.  
Nam quoties fumum longis erroribus actus  
Optavit Patrii posse videre foci.  
Sic etenim natale solum dulcedine cunctos  
Ducit, & immemores nec finit esse sui.  
Huc ades antiquæ Patriæ qui noscere mores,  
Quos tenuit quondam Frisia nostra cupis.  
Frisia quæ quondam celebris victricibus armis  
Nec presso voluit subdere colla jugo.

In